

Bando per gli abitanti di Palcanica

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Bando per gli abitanti di Palcanica

1336-6-13

In illius nomine salutare nomine qui dignatus est constitutere carnem assumere ex utero virginali amen. Anno incarnationis Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto, mense iunii, die decimo tertio, mensis eiusdem, quinte inditionis, supra Mottam Placanice. Regnante serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Folcalquerii, ac Pedemontis comite; regnorum suorum anno vigesimo octavo, feliciter amen.

Nos Ioannes Spirici, iudex Motte Placanice predictae, Ioannes Comitatus, regius publicus per Provinciam Calabrie notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod pretitulato die decimo tertio dicti mensis iunii quinte inditionis, Ioannes Bibanus, magnifici viri domini Guglielmi Ruffi de Calabria comitis Sinopolis et Veteris Brutiani domini Motte sue Placanice vicarius, faciens nos predictum iudicem, notarium et testes subscriptos in suam presentiam personaliter accersiri auctoramento cuiusdam mandati sibi concessi per dominum comitem supradictum, ut, dixit, de infrascriptorum testium presentia per totum predictum terminum praticari faceret, nomine preconis publici divulgari, quod nullus in dicta terra Placanice, qui sunt de dominio regio, suum habeat incolatum — quinimmo de predicta terra recedat, et ad dominium regium infra dies quindecim a predicto die, dicti banni editi in antea continue tunc inde suum trasferat incolatum — sub poena per regiam maiestatem edita contra eos et maxime in nostri et infrascriptorum testium presentia dictus Ioannes Bibanus vicarius, in dicta Motte

Placanice, pro parte dicti domini comitis Sinopolis pretitulato die omnes homines qui sub dominio regio habitantes in dictam Mottam Placanice licentiavit, ut de predicta Motta recedantur distanter et ad dominium regium infra predictum terminum eorum incolatum transferant occasione quolibet. Et quia dictus vicarius sua interesse dicebat ad regie curie certitudinem dictique domini comitis cautelam de premissis haberi, publicum instrumentum requisivit, nos qui supra iudicem et notarium nostrum in hoc officio implorando ac testes subscriptos, ut de premissis sibi faceremus publicum instrumentum.

Nos vero suis requisitionibus et petitionibus iustis, utpote annuentes — quia iusta petentibus non est denegandus assensus — et maxime quia de premissis omnibus et publice premissorum, ut supra dicitur, constitutum est plene nobis, presens publicum instrumentum exinde factum est, scriptum et subscriptum per manus mei publici notarii supradicti, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis signo idiote scribere nescientis et subscriptione predicti notarii, ac subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum. Dicti Ioannis iustis petitionibus et rogatu. Actum anno, mense, die, loco et inditione premissis. † Signum Crucis manus proprie Ioannis Spirici, qui supra iudicis dicte Motte Placanice idiote scribere nescientis, et subscriptum mei predicti notarii, testimoniis confirmatis cum supradictis. † Ego Petrus de Guizzaramo testor. † Ego Ioannes Comitatus qui supra regius publicus notarius per totam Provinciam Calabrie presens publicum instrumentum scripsi et me subscripsi.